ſit facta omnipotens : ſed eſt realis reſpectu hypoſtaſis utriuſque naturæ, non autem reſpectu naturarum, ut expreſsè docent *Ambroſius lib.2. de fide c.4. Auguſt.lib.1. de Trinit.c.13. Cyrill. in defenſ. 4.anathematiſmi.* Quò pertinet uſitata regula : Communicatio idiomatum valet in concreto. Item: Communicatio idiomatum eſt mutua, ſeu alterna. Hanc in ſententiam *Damaſcenus* eleganter ait *lib. 3. orth. fid c. 4.* idiomata communicari nihil aliud eſſe, quàm proprietates utriuſque naturæ applicari communi hypoſtaſi, & proinde ipſis naturis in concreto; quia concreta nomina pro ſuppoſito accipi poſſunt, licet formaliter naturas ſignificent. Itaque rectê dicimus, Deus eſt natus ex virgine, paſſus, mortuus &c. quia Deus hîc accipitur pro toto ſuppoſito, quod eſt Deus & homo. Quod ſuppoſitum verè & realiter eſt Deus, & verè ac realiter homo, & proinde verè ac realiter natum eſt ex Virgine, paſſum, mortuum &c. Pari ratione rectè dicimus, Chriſtus homo eſt omnipotens, æternus, ubiq; &c. quia homo in concreto ſumitur pro ſuppoſito. In Chriſto autem ſuppoſitum divinum & humanum unum eſt, & cùm ſit divinum, conſequenter eſt omnipotens, æternum, ubique &c. Iam videamus communicationem donorum,

rum,